



DISSERTATIO JURIDICA
DE

Genuino intellectu brocardici vulgaris:

27
1705, 9c

**OMNE JURAMENTUM
SERVANDUM ESSE, QVOD
SALVA SALUTE ÆTERNA
SERVARI POTEST,**

Quam

DEO ter O. M. adnuente,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WIL-
HELMO.**

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRANDEN-
BURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE, & reliqua,
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE

JAC. FRIDERICO LUDOVICI,
J. U. D. Prof. Publ. & Facult. Jurid.

Adfessore adjuncto,

Ad d. Martii, MDCCV. H. L. G. C.

Placido Eruditorum Examine submitte

CHRISTIANUS Gottlob Dresß /

Misena Misnicus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

Gravissimo in iudicio procedendi modo

OMNINE JURAMENTUM

SERVANDUM ESSE, QUOD

SAVA SALUTE AETERNA

SERVARI POTEST

Quam

DEO M. O. V. A. S. P. A. S. S. I. M. O.

RECTORI M. G. N. I. C. E. N. S. I. S. S. I. M. O.

MAXIMIS PRAESIDI AC DOMINO

DN. FRIDERICO WIL-

HELMO

REGNI BORSICI, ELECTORATUS BRANDEN-

BURGII ET PROVINCARUM HERCIDI & FERDIN.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

TRAEZIDE

JAC. FRIDERICO LINDOVICI

J. U. D. Prof. Publ. & Facult. Juris

Abillone abactore

M. G. N. I. C. E. N. S. I. S. S. I. M. O.

Placid. Ferdin. omnia regna. Cap. 10.

CHRISTIANUS SPINCKE M. D. C. C. C. C.

M. G. N. I. C. E. N. S. I. S. S. I. M. O.

FRIDERICIANA, Typo. Cantor. a. 1788. 25. 10. 1788.





DISSERTATIO JURIDICA
DE

genuino intellectu brocardici vulgaris:
**OMNE IURAMENTUM SER-
VANDUM ESSE, QUOD SALVA SALU-
TE ÆTERNA SERVARI POTEST.**

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

Materia juramentorum præstantissima & frequentissima, a
diversis tamen diverso modo & successu tractata, §. I. *Abusus brocardici: omne juramentum servandum esse, quod salva salute æterna servari potest, §. II. Methodus dicendorum §. III. Primum suppositum: in omni juramento adesse debere judicium, ubi de tribus Comitibus juramentorum, qui etiam in S. Scriptura habentur, & similiter obiter explicatur, quid sibi velim DD. asserentes, quod pubertati proximi etiam jurare queant, §. IV. Secundum suppositum: negotium licitum esse debere, super quo juramentum interponitur, §. V. Tertium: abesse debere dolum a parte exigentis. Respondetur ad objectionem de juramento à Gibeonitis per dolum exacto, quod tamen Deus servari voluit, §. VI. Juramentum habet vim renunciationis. Renunciatio autem solummodo in lege permissiva locum habet, non in præceptiva, aut prohibitoria, §. VII.*

DISS. DE BROG. OMNE JURAM. SERV. ESSE,
Transitus ad casus speciales. An valeat transactio juramento confirmata super alimentis futuris in testamento relicta? Defenditur negativa §. VIII. & respondetur ad rationes in contrarium §. IX. Distinctio inter id, quod est contra bonos mores juris Canonici & contra bonos mores juris civilis, rejicitur. §. X. Transactio jurata valet super relicta in testamento tabulis tamen testamenti non inspectis. Non adest hic prohibitio Legum. Respondetur Rolando à Valle §. XI. Donatio inter conjuges est invalida, licet juramento confirmata fuerit, §. XII. Aliud videtur de donatione inter patrem & filium, quem in potestate habet, celebrata, §. XIII. Juramentum non supplet solennitatem insinuationis, si donatio valorem 500. solidorum excedit. Quilibet ex dissentientibus tamen suam opinionem communem esse dicit, §. XIV. Uxor in Saxonia marito Geradam accedente licet juramento valide donare nequit, §. XV. Nec rectè sese habet eorum opinio, qui juri revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii renunciari posse existimant, §. XVI. Licita tamen est jurata renunciatio revocationis ob supervenientiam liberorum. Hæc autem renunciatio non exinde colligitur, quoniam donatio juramento simpliciter confirmata fuit. Quid si pater querelæ inofficiose donationis cum juramento renunciaverit? §. XVII. Pactum L. Commissoria est invalidum, licet juramentum accesserit. Notatur Lauterbachius, §. XVIII. Sponsalia clandestina nullitate laborant, non obstante adjecto juramento, §. XIX. Idem sentiendum de sponsalibus posterioribus juratis, quod priora legitima tollere nequeant, §. XX. De juramento metu extorto. Notatur Grotius aliique & ostenditur, dissentientes sibi ipsis non constare, dum juramentum tale pro valido reputant & nihilominus tamen absolutionem ab illo concedunt. Deo non acquiri-

QUOD SALV. SAL. ÆTERN. SERV. POTEST. 5

quiritur jus ex juramento, §. XXI. Rejicitur distinctio Baldum, utrum juramentum metu extortum super relicta an super illicita prestitum fuerit, §. XXII. Juramentum renunciationi S^Ci Macedoniani à filiofam. adjectum non est obligatorium, §. XXIII. Aliud in obligatione fœminarum intuitu S^Ci Vellejani, modo fœmina jurans hujus S^Ci tenorem intellexerit. Rejicitur brocardicum: juramentum esse locò certiorationis, §. XXIV. Ostenditur, DD. dissentientes sibi ipsis contradicere, præcipuè verò Gailium, §. XXV. Uxor vindicationi fundi dotalis à marito susceptæ ne quidem accedente juramento valide renunciat, §. XXVI. Fidejussor contractum fidejussionis juramento confirmans beneficio excusationis eò ipso renunciaſſe non videtur, §. XXVII. Minor contractum absq; Curatore celebrato juramento corroborans non habet restitutionem in integrum ex capite minorænitatis. Secus in Prodigio. Additur observatio de doctrinis plurimorum male coherentibus circa autoritatem & obligationem juris Canonici in materia juramentorum §. XXVIII. Pactum de hereditate tertii certi ne quidem accedente juramento valet. Aliud in pacto renunciativo, propter mores Germania. E contrario pactum contraternitatis juratum inter privatos iterum non valet, §. XXIX. Viduus, vel vidua ad secundas nuptias transiens dispositioni l. 6. C. de secund. nupt. ne quidem jurato renunciare potest, §. XXX. Jurata beneficiorum renunciatio non excludit querelam ex l. 2. C. de resc. vendit. §. XXXI. Qui ad factum se obligavit præstito juramento illud præcise præstare obstringitur, §. XXXII. Juramentum excludit facultatem pœnitendi in contractibus innominatis, §. XXXIII. Donatio per militem, vel Doctorem focariæ suæ accedente juramento facta non valet, contra Everhardum, §. XXXIV. Compensatio licita, quamvis debitor juraverit, se solvere

velle. Rejicitur distinctio, utrum tempore prestiti juramenti debitum jam adfuerit, annon, §. XXXV. Cessione bonorum renunciari potest & sic quoq; adjectum juramentum valet. Eapropter tamen quis non amittit beneficium cessionis, quia juravit, se soluturum. §. XXXVI. E contrario obligatio jurata ad obstagium est invalida, §. XXXVII. An obligetur, qui absenti quid promissit accedente juramento? §. XXXVIII. Juramentum chirographo insertum non excludit exceptionem non numerata pecunia, §. xxxix. Juramentum prestitum ab uno ex sociis non obligat ejus heredes, ut in societate permaneant, imò nec ipsam jurantem, si lites oriuntur, §. XL. Observatio generalis §. XLI. Origo doctrinae, quodlibet juramentum indistincte & quovis casu servandum esse, ex confusione voti & juramenti, §. XLII. Unde proflexit assertio, quod Laici coram judice Ecclesiastico conveniri possint, quoties contra Eius juramento confirmatus est, quod factum ex ratione status Clericalis ad extendendam jurisdictionem ecclesiasticam. Leges Hispanorum propterea latae, §. XLIII. Differentia genuina inter votum & juramentum ostenditur §. XLIV. Recensentur erroneae hypotheses Frantzki circa hanc materiam & simul rejiciuntur, §. XLV. XLVI. & XLVII. Conclusio Dissertationis §. XLVIII.

§. I.



Materia juramentorum quemadmodum praestantissima pariter & in negotiis humanis frequentissima est: ita quoq; licet ab omni aevō id egerunt, ut in naturam jurisjurandi non minus, quam exinde profluentem obligationem inquirerent diligentissime. Testantur hoc integra volumina

mina Seraphin. de Seraphinis *de privilegiis juramentorum*,
 Johannis de Dicastillo *de juramentis*, Johannis Gutierrez. *de*
juramento confirmatorio, Robert. Sanderfon *de obligatione*
juramenti, Carocii *de juramento litis decisorio*, Jeremiae Set-
 feri *de juramentis*, aliorumque forte plurium, quos nobis
 inspicere non licuit. Sed quoniam hi interdum ex princi-
 piis minus accurate positas erroneas conclusiones deduce-
 re consueverunt, hinc Pufendorffius præcipue in doctrina
Juris naturæ & Gentium, Uffelmannus *de obligatione homi-*
nis, quæ ex sermone oritur, & Excell. Thomasius in *Juris pruden-*
tia diuina peculiaribus capitibus & tractatibus hosce
 defectus emendare aggressi sunt. Grotium huic classi in
 præsentem non adscribo, quia in materia de obligatione ju-
 ramentorum minus caute adhuc idque non una vice prin-
 cipia veterum Moralistarum sequitur.

§. II. Generalia ad doctrinam de juramentis spectan-
 tia nunc quidem non tractabimus, alias enim integrum
 tractatum conscribere facili negotio possemus. Animus
 saltem est, de genuino intellectu famosi illius brocardici
 dispicere quod in rubrica dissertationis expressimus, cu-
 jus sedes est in *c. 25. X. de jurejur.* & *c. 2. de pact. in 6.* & hoc
 brocardicum ideo peculiarem disquisitionem meretur,
 quoniam ad id in plerisque titulis Pandectarum DD. juris
 civilis provocant, multi vero sapissime illud admodum
 contorte & ira applicant, ut aperta exinde iniquitas pro-
 fluat, prout ex casibus specialibus deinde magis elucescet.
 Si enim, quando ab alterutro contrahentium forsitan jura-
 ta fides interposita est, ac quaestio suboritur, utrum per tale
 juramentum remedia ad negotium illud impugandum a
 aliis competentia exclusa sint? tunc, si nullus alius medius
 terminus pro affirmativa in promptu est, statim ad hoc a-
 sylum

tylum recurrere consueverunt: omne iuramentum seruandum esse, quod salva salute æterna seruari potest.

§. III. Imperitis hoc facile os claudit atque terrorem incutit, ne hiscere quidem audeant; sed re penitus inspecta etiam hic verum esse deprehenditur, quod habetur in *l. 17. ff. de LL.* scire Leges, non hoc esse, verba earum tenere, sed vim & potestatem. Ergo hoc monstrandum erit primo ex principiis sanæ rationis: an & quando ex iuramento præstito obligatio oriatur? deinde verò, quisnam sit sensus juris Canonici intuitu nostri brocardici? & denique, si forsitan jus Canonicum à justitiæ tramite deflectit, quomodo illud ex jure naturali & divino emendationem capere debeat.

§. IV. Primo omnium supponimus, in jurante adesse debere *judicium*, ut ipsi perspecta sit iuramenti natura & exinde proveniens obligatio, nec non res ejusque qualitas, super qua jurandum est, id quod ipsum Jus Canonicum in *c. 26. X. de jurejur.* indigitat, dum tres comites iuramentorum recenset: *judicium, veritatem, & justitiam*, qui tres comites in ipsa S. Scriptura jam habentur, nimirum *Jerem. 4. v. 2.* ubi ita Propheta: *Et jurabis Vivit Dominus in VERITATE & in JUDICIO & in JUSTITIA.* Quod quidem ita non expresit Lutherus in versione Germanica, interim tamen non solum Hieronymus, sed & Vatablus in sua versione ita legit, vid. *Calovii Bibl. illustr. ad b. l.* nec non *Criticor. sacror. Munsteri, Grotii, Clarii Tom. 3. add. l.* Concordat versio Gallica *Edit. Genev. d. A. 1690.* Alors tu jureras, l' Eternel vivant en *verite* & en *jugement* & en *justice.* Ergo brocardicum nostrum non pertinet ad eum casum, si impubes quidam, summè ebrius, mente captus, fatuus, & similis farina homo verba iuramenti protulit. Aliud enim

nim est; juramentum præstare, aliud verba in juramentis adhiberi solita sine iudicio atque intellectu proferre. Sed hæc quidem leviora sunt & ab omnibus facile conceduntur, v. *Can. 14. 15. 16. caus. 22. qu. 5.* Non obstat, quod tamen DD. afferant, pubertati proximos admittendos esse, *si velint*, v. quos citat Lauterbach *Comp. jur. de jurejur. ab init.* exinde enim nobis occasio suppeditatur, ut statum controversiæ accuratius formare possimus. Valet juramentum pubertati proximorum juxta eos DD. si jurarunt in proprium commodum, nos autem de eo disputamus, *an juramentum servandum sit, quod in iurantis præiudicium vergit.* Hoc, quantum nobis constat, non asserunt DD. & si asserent, iniqua sine dubio eorum assertio esset. Ubi enim non adest iudicium, ibi nec juramentum, & sic nec juramenti obligatio. Alia est quæstio: annon ille peccet, qui & dicto casu juramentum impuberi defert? quam affirmamus.

§. V. Deinde supponimus, *negotium illud licitum esse debere*, super quo interponitur juramentum, quod iterum innuitur in *d. c. 26. X. de iureiur.* Quemadmodum enim de re illicita nulla iniri potest conventio: ita quoque illa conventio nulla nec juramento confirmari poterit. Ergo brocardicum nostrum ad hunc casum iterum non pertinet, in quo, ni fallimur, perinde ut de supposito præcedenti dictum, nullos dissentientes habebimus. Modò id observes, illicitum non solum dici illud, quod Legibus divinis improbatur, sed etiam quod Leges humanæ subditis interdiciunt & hujus intuitu eorum libertatem restringunt.

§. VI. Porro ex *cit. cap. 26. X. de jurejur.* observamus, jurantem ab altero, qui detulit juramentum, *non debere dolo inductum esse.* Quamvis & hoc ad suppositum primum

mum in §. IV. referre posses, dicendo, quod in ejusmodi calu judicium jurantis plane exulet, conf. c. 28. X. de iureiur. ibi: *sine vi & dolo præstita*. Cui enim per dolum alterius aliud pro alio obtruditur, is veritatem rei ignorat & sic de eadem judicare nequit. Eleganti Responso hanc observationem in materia transactionis dolo se inita confirmat Illustr. Stryk. de Caut. Contract. Sect. 3. c. 7. §. 19. Non obstat exemplum Gibeonitarum, qui Josuam & Israelitas dolo ad jurandum induxerant & nihilominus tamen Deus hos puniebat, ubi præstito juramento contraveniebant, v. 2. Sam. 21. v. 1. & 2. Josua enim Israelitæ detecto jam dolo juramentum antea præstitum adhuc ratihabuerant, Jos. 9. v. 16. seqq. Ergo ex hac ratihabitione obligatio oriebatur, sine qua juramentum nullius valoris fuisset.

§. VII. Denique ex concessis DD. notamus, *iuramentum habere vim renunciationis*, Gail. lib. 2. Obs. 27. n. 23. Mevius P. 1. Dec. 147. num. 4. Ergo quousque aliàs renunciatio fieri potest, eousque etiam juramentum præstari & præstitum servari poterit. Notum vero est, quod nec juri prohibitivo, arg. l. 5. C. de LL. nec etiam illi renunciat, ri ducatur, quod certam negotio formam præscribit, arg. l. 5. C. de iur. & fact. ignor. Marfil. Conf. 17. n. 118. Illustr. Dn. Stryk. Caut. Contr. Sect. 1. cap. 5. §. 15. & 16. sed solummodo juri permissivo, quando aliquid in favorem nostrum privatim introductum est, Dalnerus de renunciat. c. 7. §. 9. seq. Finkelth. obs. 107. n. 8. Ergo etiam juramento nulla vis adscribi poterit, si quando illud vel juri præceptivo, vel prohibitivo contrariatur, sed hunc saltem effectum habebit, ut favorem ex permissione Legis proventientem intuitu jurantis excludat.

§. VIII. Hæc sunt pauca illa, simul tamen liquida funda-

fundamenta, juxta quæ de omnibus casibus specialibus
 judicari & simul ostendi poterit, an & quando brocardi-
 cum nostrum absque aperta iniquitate admitti queat,
 quando non. Agedum videamus. Notum est ex jure ci-
 vili, quod transactio *super alimentis futuris in testamento
 relictis non valeat*, nisi accedente causæ cognitione & de-
 creto Prætoris, prout late disponitur in *l. 8. ff. de transact.*
 querunt autem DD. *annon eiusmodi transactio valida sit, si
 iuramento corroborata fuerit?* Affirmant hoc Struvius *arg.*
c. quamvis de pact. in 6. (ubi brocardicum nostrum habetur)
 in *S. I. C. Ex 6. th. 58.* Brunnem. *ad d. l. 8. ff. de transact. num. 5.*
 Schöpffer *tit. de transact. num. 8.* Zælius *ad d. tit. ff.* & Buius
ad cit. l. 8. Negat è contrario Parisius *Vol. 3. Cons. 95. n. 26.*
 cui sententiæ & nos accedimus, quoniam *d. l. 8.* non solum
 certam negotio formam præscribit, sed simul etiam pro-
 hibitiva est. Ergo iuxta *S. III. præc.* iuramentum nullam
 obligationem producit, imo potius iniquitatem involvit,
 iuramentum autem non debet esse vinculum iniquitatis.
 Quis enim non diceret iniquitatem, si privatus per præ-
 stationem juramenti à præcepto superioris se liberare in-
 tenderet?

S. IX. Equidem adducunt nonnulli hanc rationem
 quia prohibitio hujus legis non sit ob turpitudinem, sed
 ob utilitatem privatorum, v. quos citat Brunnem. *ad d. l. 8.*
num. 5. ergo exinde sequi putant, quod iuramentum præ-
 stitum servari debeat, sed facilis est responsio. Primo e-
 nim dicimus, nihil interesse, sive subsit utilitas privata,
 sive publica, modo adsit lex prohibitiva. Hæc enim in-
 distincte subditos obligat, sine respectu, ex qua causa pro-
 hibitio processerit. Deinde vero erroneum etiam est,
 quod *d. l. 8.* ob utilitatem privatorum solum lata sit, imo
 potius

potius & *principaliter* quidem ob utilitatem publicam lata est, ne perditis alimentis ille, qui alimentis jam destituitur, inutile terræ pondus & Reip. onus fiat & per consequens onus alimenta præstandi in Magistratum devolvat. Hæc cum sine dubio perpendit Covarruvias *ad c. quamvis. p. 2. §. fin. n. 12; X. d. pact. in 6. a dicto juramento absolutionem dari concedit, si postea alimentarius in magnam egestatem perveniat. Nos vero talem absolutionem non requirimus, sed juramentum ob prohibitionem legis ipso jure nullum esse asserimus.*

§. X. Scio quidem, distinguere solere DD. an aliquid sit contra prohibitionem juris canonici, an saltem contra prohibitionem juris civilis, vel, ut alii loquuntur, an juramentum sit contra bonos mores juris Canonici, an contra bonos mores juris civilis, v. Gail. *l. 2. Obs. 39. n. 15. seqq. & Obs. 40. n. 4.* sed scio etiam hanc distinctionem nihil significare. Jus Canonicum enim, nisi consensu Principum in casibus particularibus receptum sit, tantæ non est autoritatis, ut prohibitiones Legislatoris irritas reddere valeat, nec vero probabile est, Principes illud jus in hunc finem recipisse. Ergo in qualibet Rep. saltem eo respicimus, an aliquid contra prohibitionem Legum à Principe imperium ibi tenente latarum, vel receptatum impingat. Dicis: peccat tamen is, qui nomen Domini in vanum adsumsit & contra prohibitionem juris civilis juravit; Rectè. Ergo puniatur ob commissam temeritatem, si sciens fecit. Lex autem rite promulgata suum vigorem retineat.

§. XI. Cum quaestione præcedente ad finitatem habet altera: *utrum transactio juramento confirmata valeat super relictis in testamento, testamenti tamen tabulis non inspectis?*

speculis? Adfirmat eam Lauterbach. *Comp. Jur. de transact.* Struv. *S. I. C. Ex. 6. th. 57.* & sine dubio alii plures. Negat vero Roland, a Valle *l. 1. Conf. 13. num. 30. seqq.* Resolutio quæstionis exinde dependet: utrum jus prohibitivum adfit, annon? Prius quidem asserunt communiter, sed nobis contrarium verius videtur. Dicit Cajus in *l. 6. ff. de transact. de his controversiis, quæ ex testamento proficiuntur, neque transigi, neque veritatem exquiri aliter posse, quam inspectis cognitisque verbis testamenti.* Non ergo prohibet, quod conventio hoc calu iniri non debeat, sed explicat saltem definitionem transactionis, quod talis conventio nomen dictæ transactionis non mereatur, quia perinde est certum esse & in continenti certum fieri posse, transactio autem, super re incerta fieri debet. Hinc quia negotium in se non prohibetur, & de mera utilitate privata agitur, juramentum servandum esse putamus per dicta in §. VII. Rolandus à Valle juramentum propterea quidem impugnat, quod error subsit & sic juxta §. IV. iudicium deficiat; sed hæc relevare non videntur. Quotiescunque enim quis a leæ rem committit, toties se errasse pretendere nequit, quia fuit error prævisus. Nam alias nulla transactio valet, quia semper ab alterutra parte error subest. Varias aliorum opiniones de sensu *de l. 6. de transact.* vid. apud Schilterum *Exerc. 9. §. 6. seqq.* quas omnes excutere in præfenti nostrum non est.

§. XII. In materia donationis plurima exempla scopo nostro inservientia occurrunt. Queritur scilicet primo: utrum donatio inter coniuges valeat, si iuramento confirmata fuerit. Negant Baldus *Vol. 1. Conf. 29.* Castrensis *Vol. 2. Conf. 195. num. 2.* Bartolus in *l. 1. n. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor.* & plurimi alii apud Gaillum *l. 2. Obs. 40. n. 1.* Adfirmant

14 DISS. DE BROG. OMNE JURAM. SERV. ESSE,
firmant è contrario Alexand. Vol. 2. Conf. 8. num. 3. Decius
Vol. 1. Conf. 202. Paris. Vol. 3. Conf. 86. n. 19. & 46. quos itidem
cum multis alijs vide apud citatum Gailium, & quibus ipse
etiam Gailius calculum suum adjicit. Nos accedimus ne-
gantibus, quia donationes conjugum sunt contra prohibi-
tionem juris in l. 3. ff. de donat. int. vir. & uxor. Ergo non
adeft iustitia, sed impingit juramentum contra regulam in
§. VII. traditam. Redderentur sane ita omnes Leges civi-
les jam latae & adhuc ferendae elusoriae, quis vero praesume-
ret, Principes in hunc finem jus Canonicum recepisse? Nec
est, ut ad multitudinem DD. validitatem juramenti adferen-
tium provocet. Sunt enim in quavis quaestione multi, ad-
firmantes, sunt multi negantes & sic opinio communis con-
tra communem. Ergo ex principijs genuinis dijudican-
dum, cujus sententia verior sit.

AB
§. XIII. Sed quid de donatione inter patrem & filium
juramento confirmata? Hic concedimus, sententiam
adfirmantium & pro validitate donationis pronuncianti-
um absque nota iniquitatis sustineri posse, quam defendit
Struv. S. I. C. Ex. 40. th. 7. Mynsing. Cent. 2. Obs. 33. Lauterb.
ad tit. ff. de donat. Adest siquidem iudicium, abest dolus
& metus, & non deprehenditur in jure civili prohibitio.
Prout enim hic rectè ostendit Gail. l. 2. Obs. 38. num. 1. seqq.
dispositio Legum Romanarum ex illa saltem hypothesi de-
scendit, quoniam Pater & filius pro una persona habentur,
& quia donatum revera non filio, sed ipsi Patri acquireret-
ur, referendum enim esset ad peculium profectitium, in quo
& proprietatem & usum fructum habet Pater. Nemo au-
tem sibi ipsi obligatur, nec quod jam habet, sibi ipsi denuo
donare potest.

§. XIV. Porro inter DD. controversatur: Utrum do-
natio

natio ultra 500. solidos absque insinuatione valeat. si iuramento corroborata sit? Affirmativam iterum, ut solet, tuetur Andr. Gail. l. 2. *Obs.* 39. cum plurimis n. 12. allegatis, v. Roland. à Valle l. 1. *Conf.* 19. num. 48. Negativam tenent Carpzov. P. 2. C. 12. D. 14. n. 6. aliique à Schöpffero ad tit. ff. de donat. n. 15. allegati. Et hæc posterior opinio sine dubio præferenda, quia adest lex certam formam negotio præscribens, quæ à privatis eludi nequit, v. §. VII. Nec est, ut timeas DD. à Roland à Valle loc. cit. allegatos, Decium, Curtium juniorem aliosque dicentes, esse magis communem opinionem, quod iuramentum sit loco insinuationis; nam & illi, quos in rationibus dubitandi num. 14. & 15. adduxerat, Andr. Siculus & Paulus de Castro veriorum & communem sententiam esse dicebant, quod iuramentum solennitatem insinuationis non suppleat. Ergo iterum non discrepantibus autoritatibus, sed iustis rationibus pugnandum. Æquitatem hujus nostræ sententiæ perspexit Sereniss. Elector Saxonix, dum in Decis. 26. iuramentum solennitatem insinuationis non supplere constituit, ad stipulatur quoque eidem excell. Dn. Joh. Sam. Stryk. in Disp. de eo, quod iniust. est circ. iuram. extraiud. Cap. 2. §. 18. conf. Schilter Exerc. 43. §. 10. inf.

§. XV. Ex iisdem fundamentis deciditur apud Saxones quaestio: *utrum Uxor marito Geradam accedente iuramento valide donare queat?* scilicet cum Jus Saxonicum hanc donationem in se prohibeat, per accedens etiam iuramentum ad rem prohibitam ea convalidari nequit, vid. *Const. Elect. Sax.* P. 2. C. 12. ibique Carpzov. Def. 1. seqq. *Struv. Jurispr. Rom. Germ. lib. 2. tit. 10 §. 28.* Statuit quidem alias *Setfer de Juram. lib. 1. Cap. 25. num. 118.* iustius esse, leges politicas negligi, quam Deum perjurio contemni; sed primo

DISS. DE BRO. OMNE JURAM. SERV. ESSE,
 mo quidem recte respondet Excell. Strykius *cit. Disp.* ad-
 huc adesse quæstionem, an ita perjurium committatur,
 quoties iuramentum actui nulli adjicitur, deinde etiam
 nihil amplius exinde sequitur, quam puniendum esse il-
 lum, qui tam temere & contra prohibitionem superioris
 iuramentum præstitit.

§. XVI. Cum etiam in *l. f. C. de revoc. donat.* dona-
 tori concessum sit, ut propter causas in *d. l.* expressas do-
 nationem iterum revocare possit, si scilicet donatarius
 ingratus existat; hinc ipidem quærunt: *annon huic legi*
mediante iuramento renunciari possit? Solam renunciatio-
 nem non admittit Carpzov. *Dec. 123. n. 5.* admittit tamen
 eam, si iuramento confirmata sit, *ibid. num. 14. v.* Brunne-
 mann, *ad d. l. fin in f.* sed cum ipse Brunnemannus asserat,
 & optime quidem, revocationi donationis ob ingrati-
 tudinem donatarii ideo renunciari non posse, quia ad delin-
 quendum invitaret; hinc non video, qua ratione iuramen-
 tum sustineri possit, quippe quod non minus, ut nuda do-
 nantis renunciatio, ad delinquendum invitaret donatari-
 um. Et sane si ejusmodi generalis applicatio brocardici
 nostri admitteretur, tunc revera omni dolo futuro median-
 te iuramento renunciari & quilibet hac ratione ad delin-
 quendum invitari posset. Ad tamen JCI communiter di-
 cunt, quod iuramentum non debeat esse iniquitatis vincu-
 lum, *Gail. lib. 2. Obs. 147. n. 3.*

§. XVII. Alia adhuc est quæstio: *utrum pater revo-*
cationi donationis ob supervenientiam liberorum cum iuramen-
to renunciare possit? Affirmat hanc quæstionem Brunne-
 mann. *ad l. 8. C. de revoc. donat.* & hic libenter consenti-
 mus. Revocatio enim propterea conceditur, quia do-
 nans non cogitavit de hoc casu, ergo si de eo cogitavit,
 quod

quod ex renunciatione colligitur, legis ratio cessat. Et hic non adest lex prohibitiva, sed permissio legis saltem Diss. Gail. i. Q. 40. n. 13. & alii apud Gothofred. *ad d. l. ex erronea ratione*, ac si bona parentum liberis jure natura debeantur. *Sed quid si simpliciter accedat juramentum donationi?* Certe si brocardicum nostrum crude applicandum esset, & tunc excluderetur revocatio, quia juramentum salva salute æterna servari posset. Sed recte dicit Brunnemannus *d. l. juramentum recipere easdem hoc casu qualitates*, seu conditiones, quæ in principali subintelliguntur. Unò verbo, deficit judicium *v. supra §. IV.* Quæritur porro: *utrum etiam Patris renunciatio jurata obstet liberis, si in legitima læsi sunt, ita, ut querelam inefficose donationis instituere nequeant?* Rectissime iterum negat Brunnemannus, quia adest lex prohibitiva & renunciatio in præjudicium tertii vergeret.

§. XVIII. Pergimus jam à materia donationis ad alia. Prohibitum est in materia pignorum pactum L. Commissoriae per *l. f. C. de pact. pign.* Sed quæritur: *an non valeat illud accedente juramento?* Affirmat pro more suo Gail. 2. *obs. 40. n. 4.* Lauterbach *Comp. Jur. ad tit. ff. de pign. act.* & alii ab hoc citati. Negant rectius Carpovius, Frantzkius & alii apud Schöpfferum *Synops. Jur. ad d. t. ff. n. 17.* Adest enim Lex prohibitiva & juramentum revera esset vinculum iniquitatis. Quod allegant *c. pen. X. de pignor.* adhuc dubiæ est interpretationis, licet autem sensus ejus clarus esset, ab aperta tamen injustitia liberari non posset. Et quis adeo crederet, hoc capitulum esse receptum. Et sane non video, quomodo à nota contradictionis liberari queat doctrina Lauterbachii *d. l. statuentis, quod pactum L. Commissoriae nec statuto, nec consuetudine ap-*

probari possit, simul tamen asserentis, quod iuramento accedente convalidari queat. Si enim hoc, cur non etiam statutum, vel consuetudo valeret? Optime ergo illustr. Stryk ad d. l. Lauterb. voc. servandum ita annotavit: relaxationem huius iuramenti peti posse, quia alter contra Leges hoc modo lucrum caperet. Si autem validum esset iuramentum, nec relaxationi locus concederetur. Existimat quidem Frantzkius l. 2. Resol. 5. n. 102. iuramentum hunc effectum habere posse, quod respignori data maneat quidem post redemptionis tempus penes Creditorem, sed non pretio ad quantitatem pecunia mutuo data restricto, sed iuxta arbitrium boni viri determinando, id est, ut Creditor superfluum restituat; sed hæc assertio partim petit id, quod in principio est, partim etiam nobis non adversatur, quia iuramentum tunc revera non observatur, add. Dn. Böhmerum Introd. in Jus Digest. de pign. act. n. 13. §. 29.

§. XIX. Idem deitionis fundamentum in quæstione: *utrum sponsalia clandestina per accedens iuramentum evalescant?* adhibendum. Prohibent enim Leges absque consensu paterno sponsalia celebrare & sic iustitia deficit, v. §. VII. Conjugia scilicet absque consensu eorum, qui super æminam dominationem habent, inita, non sunt connubia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes, v. can. 1. caus. 30. qu. 5. Elegans Responsum huc petinens exhibet illustr. Stryk. in addit. ad Brunnem jus eccles. l. 2. c. 16. §. 12. verb. *quæ Parentis consensu destituta, ibi: noch minder solches Jurament per Justiz gemäß / indem es denen Legibus Consistorialibus de u. l. d. zuwieder / welche doch im Gewissen verbinden / (sine dubio autem omnes Leges subditos in conscientia obligant, & sic idem in aliis casibus quoque sentiendum.)* vid. Carpzov.

Jurispr.

Jurispr. Confst. lib. 2. Def. 58. Schöpffer, ad tit. de Sponsal. num. 14.

§. XX. Quae de invaliditate iuramenti in sponsalibus clandestinis diximus, eadem ratione ad *sponsalia posteriora* applicari debent. Neque enim a venditione Titio facta me liberare possum, licet postea eandem rem Caio & quidem solenni iuramento accedente vendiderim, quia maxima sine dubio esset absurditas, si statueremus, quod per iuramentum ius tertio quæsitum eidem iterum absque eius consensu auferri possit. Ita quoque ius sponsæ ex prioribus sponsalibus acquisitum propter iuramentum sponsalibus posterioribus, tanquam rei illicitæ, accedens alterationem non patitur. Pertinent huc iterum verba Responsi in §. præc. allegati: *Über dem die F. C. nicht protestatam nova sponsalia iuramento confirmandi gehabt / indem sie a vinculo sponsalicio priori noch nicht befreyet / und also sich anderweit zu obligiren ganz unbefugt gewesen / add. illustr. Stryk de Dissens. despons. Sect. 4 s. 9.*

§. XXI. Progredimur ad *iuramentum metu extortum*, de quo in *Auth. Sacramenta puberum C. si advers. vend. dicitur*, quod nullius momenti sit, addita elegantiaratione, ne querimoniam malefactorum commissorum faciat. Et recte statuunt Pufendorff, *de F. N. & G. lib. 4. c. 2. §. 8.* & excell. Thomafius *Jurispr. div. l. 2. c. 9. §. 31.* iuramentum tale nullam producere obligationem, quia iustitia a parte exigentis deficit. Introdacta enim sunt iuramenta, ut licitis & bonis actionibus inter homines firmitatem addant, non ut sceleribus succenturiantur, Id. Pufendorff *d. l. §. 9.* Consentit illustr. Stryk *in not. ad Lauterb. de iureiur. verb. ipso iure nullum.* Hinc repudianda omnino sententia contraria Grogii *de F. B. & P. l. 2. Cl. 3. §. 11.* nec non Augustini *in*

Servanda sunt juramenta etiam vi exhortata nobis
 damnosa. *De iur. v. 4. juratus in damnis suis non tenetur*
mutari. Q. An juramentum Catroni factum, quo quod se
reseruntur non possit iterum servandum r. p. promitti
 DYS. DE BROG. OMNE JURAM. SERV. ESSE,
 si illa aut de *epist. 224. & 225. (quem citat Dn. Simon in not. ad Grot. d. l.*
libro 11. tit. 2. art. 14.) existimantium, quod etiam juramentum metu extor-
 tum obligatorium sit, ex erronea ratione, quia non
 regenda. *Prig. p. 1. omni s. 1. q. 1. de re tota sile. p. 1. de re tota sile. p. 1. de re tota sile. p. 1.*
 persona sola respicitur, cui juratur, sed is, qui juratur,
 Dominus ob. *Deus. Quis enim crederet, ut iterum ait Pufendorfius*
d. s. 8. Deum velle, ut ego innocens me bonis meis spo-
liem & illa in impium nebulonem conferam. ne ille gra-
tis sceleratus fuerit. Atque invaliditatem eiusmodi iura-
menti, licet alias salva salute æterna servari possit, agno-
scit ipsum ius Canonicum in c. 2. & 3. X. de iurejur. nec non
Scholastici alique dissentientes Thomas, Svaretz, Rodri-
quetz, Rivetus, &c. apud Struv. S. I. C. Ex. 17. th. 16. dum
absolutionem ab illo impetrari posse asserunt, quæ sane
locum non haberet, si Deo ius quæsitum esset, quoniam
absque dubio nec Princeps, nec Papa, ius Deo quæsitum
auferre potest. Unde revera contradictionem involvunt
illa duæ assertiones: Juramentum vi extortum obligat &
Deus exinde ius acquisivit, & nihilominus tamen Princeps
effectum talis obligationis tollere valet, conf. Treutler. Vol.
1. disp. XI. th. 4. qu. 30.
 S. XXII. Neque ergo his suppositis opus est, ut cum
 Baldus in *Cas. Consc. lib. 2. cap. 12. (apud Dn. Simon. in*
not. ad Grot. l. 2. c. 13. §. 15. (1) distinguamus, utrum iura-
mentum metu extortum sit super re possibili & licita v.
g. super pretio pro capite, an vero super re illicita iusti-
tiam impediante, improbos in malicia sua confirmante,
&c. Nam & si pretium pro capite promitto in priori ca-
su & illud vim inferenti solvere teneor, sine dubio impro-
bus hac quoque ratione in malicia sua confirmatur, atque
adeo duo isti casus revera ab invicem non differunt, quod
putabant Autores allegati. Deinde sufficit, exactionem
 la-

Cito th. 2. aut
 de re tota sile.
 regenda. Prig.
 p. 1. omni s. 1. q. 1.
 Dominus ob.
 legal: posteris
 Libem tua p.
 David ob.
 Mag. Strub.
 uij. p. p. nes
 ar. lere inter.
 Groind. q. ex
 metu ad. h.
 pradoni se h.
 ratione ab.
 strinxit re ad
 Mag. Strub. de
 C. h. fidei
 illig. rex, au.
 h. oritate publica
 exolveri poterit.
 ita Joh. Welle
 in Comp. pend.
 Ruff. Theol.
 Lib. 2. Cap. 6.
 can. 9.

latronis illicitam esse. quamvis res, quam exigit, alias & abstrahendo ab eiusmodi negotio violento licite postulari possit, hoc enim non proficit violento aggressori, quippe quem non *ex rei desiderate natura*, sed *ex malitiosa ejus intentione* diiudicamus. Ad alias ratiunculas, quas tam citati Auctores, quam alii etiam in medium proferunt, ex modo dictis facili negotio responderi potest.

§. XXIII. Queritur porro: *utrum iuramentum additum renunciationi Scti Macedoniani sit obligatorium?* Hic, quod tere mirandum, plures sententiam negativam amplectuntur, eamque genuinam, Bachovius, Hahnus, Barbosa, Zælius, alique apud Lauterbachium *comp. jur. ad tit. d. Sct. Macedon. in fin.* qui ultimus nec de iure Canonico, nec secundum conscientiam exinde obligationem oriri putat. Effet enim revera hoc iuramentum vinculum iniquitatis & in præiudicium Patris tenderet. Hieronymus Treutlerus, qui & alias in hac materia sæpe ab iniustus aliorum principiis recedit, *Vol. 1. Disp. 18. th. 7.* hac de questione ita disserit, sibi scilicet esse persuasissimum, quod opinio affirmantium falsissima sit & absurdissima, quia Sctum Macedonianum publicam respicit utilitatem, ac providet, ne filiam. corrumpantur & delictis fenestra aperiat, atque occasio illis præbeatur, vitæ parentum insidiandi: iuramentum itaque istud, (addit) quo Scto huic renunciat, est contra bonos mores, repugnat utilitati publicæ, occasionem denique præbet filiosam. corrumpendi, & insidiandi vitæ parentum, quocirca etiam iure Canonico improbat. Uno verbo: deficit iustitia, *v. supra §. V. Dissent. Setser. de Juram. lib. 1. c. 13. n. 13.* sibi ipsi tamen non satis constans.

§. XXIV. A Scto Macedoniano ad Vallecianum pro-

gredimur. Fœminæ ex fideiussione non obligantur, sed quæritur, *utrum obligentur, si contractum juramento confirmaverint?* Hic, quia fœminæ facultas renunciandi conceditur In l. f. §. 4. ff. ad Sct. Vellej. & sic lex prohibitiva adesse non videtur, (huic enim renunciari nequit,) indulgeri etiam poterit vis aliqua juramento ex hypothesi DD. vid. Serler, de Juram lib. 2. Cap. 12. n. 2. 3. Dico, *ex hypothesi DD.* id est, hac parte commune dictionem de servando juramento, quod salva salute æterna servari nequit, manifesta iniquitate non laborare existimo, quia nihil detrahit autoritati Legislatoriæ civili. Alias vero & abstrahendo ab illa hypothesi juramentum eisdem naturam actus sequeretur, cui adjectum est. Requiro tamen, ut fœminæ juraturæ tenor Scti Vellejani & effectus iuramenti, amissio scilicet dicti Scti exinde profluens, probe explicetur, quoniam alias iudicium deficit & sic revera iuramentum non adest, imo alter in dolo & mulierem circumventurus esse videtur, v. supra §. IV. Quod enim dicunt, iuramentum esse loco certificationis, Hering. de Fideiussor. c. 7. n. 507. Gail. l. 2. Obs. 77. n. 10. & alii ab hoc citati, hoc revera contra principia sanæ rationis impingit, quoniam iuramentum ad ignorata per rerum naturam trahi nequit, prout iam ostendit Exc. Joh. Sam. Stryk, disp. de eo quod iniust. est circa iuram. extraiud. c. 2. §. 20.

§. XXV. Imo DD. contrarium asserentes sibi ipsis contradicunt. Videtur, inquit Gail. de Obs. 77. num. 10. mulier virtute iuramenti omni legum ac iuris auxilio renunciassse, *si non in specie, saltem in genere.* Sensit ergo, iuramentum non esse loco specialis renunciationis. At vero paulo ante dixerat num. 8. generalem renuntiationem non valere quoad ea, de quibus renuncians tempore

renun-

renunciationis non cogitavit. Quomodo itaque hæc co-
hærent: Renunciatio generalis non extenditur ad incogi-
tata: Juramentum est loco renunciationis generalis, & ta-
men iuramentum ad non cogitata extenditur. Porro no-
tat Gailius *num. 11. ex communi*, ut dicit, opinione, mu-
lierem iuramento contravenire posse, si enormiter læsa
sit, quod de eo casu intelligo, si solvere cogatur & regres-
sum contra principalem instituerè nequeat; aut vero hac
ratione regula ante data vel in plurimis casibus cessabit,
quia quoties fidejussor solvere cogitur, debitor ut pluri-
mum non est solvendo & sic regressus deficit; vel etiam
hoc respectu contradictio adest, quoniam & tunc iura-
mentum ex hypothesi servari potuisset salva salute æterna,
licet femina enormiter læsa fuisset, quis enim crederet,
eam salutem æternam amissuram, si talem læsionem pa-
tienter ferret?

§. XXVI. Quæritur: *utrum uxor vindicationi fundi
dotalis à marito alienati jurato renunciare possit?* Affirmat
Covarruv, in *c. quamvis X. de pact. in 6. p. 2. §. 1. num. 19.*
Molina & alii apud Brunnem, *ad l. ff. de fund. dot. num. 9.*
Gail. *l. 2. obs. 42. num. 8.* & de hoc casu in specie agitur in
famoso illo *c. 28. X. de jurejur.* Verum si *dr. J. quib. alien.
lic. vel non inspiciamus*, expresse ibi dicitur, ita interdi-
ctam esse alienationem, *ut neque consentientibus mulieribus
procedat*, & ergo lex mere prohibitiva adest, quod & ipse
agnoscit Papa in *d. c. verb. quod etsi mulierum consensus in
talibus non videatur, obligatorius secundum legitimas sanctio-
nes.* Unde nobis verius videtur, juramentum hoc casu
præstitum nullius valoris esse. Sed, inquit Papa, hac ra-
tione perjurium committitur, si mulieri iuramento con-
travenire permittitur; Ego vero: ubi nullum juramentum,
ibi

ibi nullum perjurium, quia hoc validitatem juramenti supponit. Ast vero nomen Dei ita in vanum assumitur; Recte. Puniatur ergo sc̄mina, quæ hoc fecit, & sciens quidem, id est, de prohibitione legis edocta, alias enim & iudicium deficit, sed puniatur etiam ille, & magis puniatur, qui mulieri Autor exititit, ut nomen Dei in vanum assumeret. Non obstat, quod tamen uxor per consensum iteratum alienationem confirmare possit, *Nov. 61. cap. 1.* Hoc enim statim ibi limitatur, modo uxori ex aliis mariti bonis satisfieri possit & sic nullum damnum ea sentiat; sed quæstio nunc de eo casu est: an consensus etiam tunc sit validus, si uxori præiudicium exinde immeneat?

§. XXVII Si fidejussor contractum fidejussionis juramento confirmavit, quæritur: *an eo ipso beneficio excusationis renunciasse censeatur?* Negat Alexander; ait Baldus, & habet uterque ad stipulatores satis multos, quos vide apud Dan. Mollerum *Semestr. lib. 1. c. 16. num. 1. seqq.* Ipse Mollerus affirmativæ subscribit præcipue ex ratione Jasonis, quod juramentum semper aliquid addat & faciat actum valere omni meliori modo, quo potest, unde refutat Gomecium dissentientem dicendo, Gomecium haud dubie contrariam opinionem ut falsam tam audacter non rejecisse, si ille locus apud Jasonem ipsi incidisset. Nos hisce non obstantibus cum Alexandro, Gomecio, aliisque negativam tuemur. Quamvis enim non adsit lex prohibitiva, sed fidejussor pro lubitu beneficiis suis renunciare queat, iudicium tamen deficere videtur. id est, fidejussor probabiliter de hac renunciacione non cogitavit, homines enim non facile renunciant juribus suis, vid. quæ §. XXIV. & §. XXV. diximus. Jasonis auctoritatem à Mollero satis imperiose objectam non curamus. Quemham ergo inquis,

inquis, tale juramentum effectum habet? quid, si responderem nullum? Sed potest tamen nihilominus hic eidem effectus adscribi, ut eo magis adstringatur fidejussor, ne trivolis exceptionibus & subterfugiis obligationem accessoriam eludat.

§. XXVIII. *Minorem* absque curatore contrahentem accedente juramento nihilominus obligari deciditur in *Auth. Sacramenta puberuu. C. si advers. vendit*, adeoque cum hic expressa dispositio Legis civilis adsit, res dubio caret. Neque enim illis, qui pubertatem adepti, iudicium deficit. Sed quid, *si prodigus contractum absque Curatore celebratum jurejurando confirmet?* Respondent nonnulli, eum quoque esse servandum, quos vide apud Setser. *de juram. l. 1. c. 5. num. 3.* Recte autem ex principiis à nobis suppositis negativam amplectitur Id. *d. l. n. 8. seqq.* hac utens ratione, quod tale juramentum desituatur justitia, quia est contra legis prohibitionem, prodigus enim intuitu administrationis furioso comparatur, *v. l. 1. ff. de Curat. furios.* Et mirandum certe est, quod Idem Setserus *num. 8.* hanc sententiam communiorum esse dicat eandemque centum autoritatibus corroboret. Ex quo observes, quam misere cohaereant doctrinae DD. qui ex meris autoritatibus sapiunt. Mox enim non attenda juris canonici dispositione juramentum non obligare, & hanc opinionem communem esse statuunt, mox vero in alio casu, ubi tamen identitas rationis adest, juramentum servandum esse affirmant ac iterum communem opinionem esse adstruunt. Observes simul ex ipsis hisce DD. assertionibus, erroneum esse, quod jus Canonicum hac parte universaliter receptum sit in praerudicium Legis civilis,

D

§. XXIX.

§. XXIX. Progredimur ad pacta successoria. Non valet pactum de hereditate tertii certi, sed quaeritur: an accedente juramento valeat? affirmant Baldus, Decius & plurimi alii apud Setferum l. 2. c. 5. num. 1. itidem crepantes brocardicum nostrum; sed recte iterum negativam tuetur Setferus d. c. 5. per tot. eamque veram, receptam & communem dicit, quia prohibitio Legis adest. Sed quid si pactum renunciativum sit? Prohibitum hoc esse in l. f. ff. de suis & legit. hered. dicit Mev. P. 3. Dec. 270. num. 2. addit tamen simul in Germania hodie per mores vulgatum esse, ut non amplius attentata ea juris civilis veteri constitutione pacta successoria valeant. Suppositis ergo hisce moribus renunciatio ipsique adjectum juramentum valebit, v. illustr. Stryk. Caut. Contr. Sect. 3. Cap. 3. §. 12. modo absit dolosa inductio, prout recte contra dissentientes adstruit Treutler. Vol. 1. Disp. 11. th. 7. Quid si pactum acquisitivum de hereditate ipsorum paciscentium inter privatos mediante juramenta fiat? Hic tandem consentit Gail. l. 2. Obs. 125. num. 7. quod pactum eorum, qui se fratres juratos faciunt, geschworne Brüder, sit invalidum, quia est contra Legis prohibitionem. At vero & hoc ex hypothesi illius servari potuisset salva salute aeterna?

§. XXX. In l. 6. C. de sec. nupt. disponitur, quod si ex priore matrimonio procreatis liberis pater materve ad secunda, vel tertia, aut ulterius repetiti matrimonii vota migraverit, licitum ei non esse debeat noverca, vel vitricus, plus relinquere, quam ad unumquemque ex liberis prioris matrimonii pervenerit. Queritur: an huic dispositioni contravenire queat pater materve accedente juramento, per quod dispositio facta corroborata? Recte negat Gail. l. 1. Obs. 40. num. 12, ex ratione, quia de prajudicio libero.

berorum agitur, seu clarius, qui lex prohibitiva adest. Et hanc sententiam *communem* & benigniorem appellat, ut adeo pro nostra hypothesi iterum communem opinionem DD. allegare valeamus in gratiam eorum, qui rei veritatem exinde meriuntur.

§. XXXI. Adferamus nunc famosam illam quaestionem: *utrum jurata beneficiorum renunciatio generalis beneficium l. 2. C. de resc. vend. excludat?* Affirmat Struv. *S. I. C. Ex. 17. th. 26.* Carpz. *P. 2. C. 35. Def. 1. seqq.* Frantzk. *l. 2. Resf. 4. n. 24. seqq.* aliique ex nulla alia ratione, quam quod omne juramentum servandum sit, quod salva salute aeterna servari potest. Jam quidem diffiteri non possumus, non adeste hic legem prohibitivam, sed beneficium illud leges in favorem laesi introduxisse eique permisisse, utrum eò uti velit, annon; interim tamen alius comes juramenti, judicium DD. fingunt, ac si jurans de omnibus cogitaverit, *v. supra §. XXIV. in f.* Placent ergo potius illa, quæ de filia ex renunciatione paternæ hereditatis enormiter laesa in simili adducit Gail. *l. 2. Obsf. 147. num. 10. seqq.* quod nec renunciatio, nec juramentum obstant, & ne quidem ab-
solutione à juramento opus sit, quam opinionem communem & infinitis autoritatibus corroboratam esse simul asserit.

§. XXXII. Si ad *factum*, quis se obligavit, tunc notum est, quod præstando interesse se liberare possit, *l. 12. in f. ff. d. re jud.* sed quid si promissioni jusjurandum accessit? Omnes fere dicunt, jam præcise obligari promittentem ad factum præstandum, Fachin. *l. 3. controversf. c. 17.* Covarruv. *in c. quamvis de pact. in 6. & plurimi apud Serser. de juram. l. 1. c. 25. n. 96.* quibus libenter nostrum calculum

lum adjicimus, quoniam hic nullum ex requisitis *supra* §. IV. V. VI. & VII. recensitis deficere videtur. Ita est ratione obligationis. Alia quaestio est, an compelli possit, qui juravit, si de facto promissionem adimplere recusat, id est, an remedia compulsiva effectum suum sortiri queant ob contumaciam alterius? Non putamus.

§. XXXIII. Recte etiam se habere cenlemus illam DD. assertionem, *quod juramentum poenitentiam excludat* in casibus, ubi alias facultas poenitendi permessa est, v. gr. apud Romanos in contractibus innominatis. Ratio statim patet, quia poenitentia ex legis permissione est. Quamvis haec observatio hodie parum utilitatis habeat, postquam scilicet propter efficaciam pactorum ne quidem tunc à promissis recedere licet, quamvis nullum juramentum praestitum fuerit, v. interim Nicol. Everhardum in *loc. top. loc. à vi & energia juramenti n. 40.* qui plurimas absurditates defendit, & quem hic & alias saepe sequitur Serser *l. l. c. 25. num 107.*

§. XXXIV. Egimus jam supra de donationibus §. XII. seqq. addemus tamen adhuc unum casum ex Everhar, do *d. l. n. 12. inf.* *Quamvis, inquit, donatio per militem, vel Doctorem facta sua focaria, vel concubinae non valeat, & 2. cum ibi not. per Bald. Salye. & Doct. C. de donat. int. vir. l. uxor. attamen, si fuerit vallata juramento, firmabitur juramento,* ita singulariter dicit Ludov. Roman. *Conf. 43. in c. ad primum in 4. dub.* quod nota, dicit Everhardus, quia raro reperies alibi. Credo. De Doctoribus quidem in *d. l. 2.* nihil habetur, sed junxit eos sine dubio Everhardus militibus, quia in jure saepius à malitia sagata ad togatam argumentamur. At, quis non doleret stultitiam! annon ita juramentum est vinculum iniquitatis bone Everharde?

§. xxxv.

§. XXXV. Jam ad alia iterum. Quæritur: *an compensare possit, qui juravit, se soluturum esse?* dissentiunt DD. ut solent. Nobis placet affirmativa, quam recte defendit Setser. *de juram. l. 1. c. 25. n. 103. seqq.* quia qui compensat, ille etiam solvit, & sic juramento non contravenit, sed servat illud. Ficta enim solutio hic idem est, quod vera. At tamen infinitis propemodum autoritatibus sententiam contrariam confirmat Ernest. Cothmann *Conf. 28. num. 374. seqq.* & juxta eam in Curia Romana alisque jus dici asserunt alii; quid hoc ad nos? Cum nobis etiam plerosque sentire dicunt infiniti DD. à Setsero *d. l. num. 106.* allegati. Distinctio etiam, quâ nonnulli utuntur, utrum scilicet tempore juratæ promissionis jamtum adfueris mutuum debitum, annon, (ita, ut priori casu compensatio locum non habeat, v. Lauterbachium & Zœsium apud Schöpff. *Synops. jur. tit. de Compensat. num. 12.*) nullius est momenti. Utroque enim casu qui compensat, solvit, & alter nullum interesse demonstrare potest.

§. XXXVI. Disquirunt: *an cessione bonorum possit renunciari juramento, & an valeat conventio, qua debitor se obligat ad carcerem, si ad constitutum diem non solvat?* Quamvis vero & hic nonnulli existiment, talem renunciationem esse illicitam, quarum rationes adfert Gail. *de pac. publ. lib. 2. c. 2. num. 21. 22. & 23.* Nobis tamen eorum sententia, qui quæstionem affirmant, verior videtur, quia saltem de permissivo jure agitur. Et ergo de obligatione juramenti quoque nullum dubium supererit, vid. illust. Str. *ylc. Caut. Contr. Sect. 2. c. 1. §. 39.* Contra vero is, qui solummodo juravit, *se soluturum*, hoc beneficio cessionis nihilominus fruitur, Zœl. *ad ff. de cess. bon. n. 3.*

*Schultz in
Diss. de Advu
emergenti
Cap. 4. §. 3.*



§. XXXVII. Obstagia cum per *Reform. Polit. de An. 1577. tit. 17.* von wunderlichen Contracten §. wiewolaudy. prohibita sint, hinc quæritur *annon obligatio ad obstagium accedente juramento sit valida?* Affirmat Panormitan. in *cap. Ex rescripto. num. 7. X. de jurejur.* Verum enim vero cum hic lex prohibitiva adsit, cui renunciari nequit, *Dalner. de renunciat. c. 9. num. 1. seqq.* hinc renunciatio sive simplex sit, sive juramento confirmata, nullius momenti erit, præcipuè cum ex obstagiiis quamplurima mala oriantur, daß sie dabey sich arm/frand und in die Hölle sauffen/Coler. *de Proc. executiv. p. 1. c. 8. n. 89.* Illustr. *Da Stryk. Caut. Contr. d. 1. §. 37.*

§. XXXVIII. Insignem adhuc juramento tribuunt effectum, quod neque, *si quis juraverit, se dare velle absentis*, etiamsi nemo præsens sit, qui dictam promissionem nomine absentis acceptet, nihilominus jurans virtute dictæ promissionis juratæ per absentem conveniri possit, quia Deus, qui in juramento testis advocatur, ubique præsens absentiam supplet. Unde confecerunt regulam sequentem: *Juramentum habet vim consensus literarii & supplet præsentiam partis, ac vim habet nunci, vel epistole.* *Cravetta de antiquit. temp. §. 3. num. 43.* *Petr. Surd. Decis. 10. in f.* *Everhard. loc. topit. in luc. a. vi & energ. juramenti n. 10. in f.* qui, ut solet, monitum subjicit, quod nota, dicit, *quia potest quotidie esse usui.* *Setser. de juram. l. 1. c. 25. num. 28. seqq.* Quamvis vero illa philosophandi ratio non adeo accurata sit, sed erroneum principium supponere videatur, ac si in juramenti Deo aliquid promittatur, de quo supra §. XXI. dictum & mox adhuc dicetur; attamen tolerari potest dicta assertio, si in praxi est recepta, quoni-
am

am aperta iniquitate non laborat, neque etiam contra fundamenta §. IV. *seqq.* tradita directo impingit.

§. XXXIX. Quærun: *an juramentum obligationi super mutuo adjectum exceptionem non numeratæ pecunie excludat?* Facimus cum negantibus, ex quibus unum allegasse sufficiat Illustr. Strykium *de Caut. Cont. Sect. 2. c. 7. §. 11.* qui plures citat. Deficit enim iudicium & rei veritas, quia sub spe securitæ numerationis juramentum præstitum Dissent. Gutierrez, Molina, Zanger & alii apud Eund. *d. l.* nec non Seraph. de Seraphin. *privil. 60. n. 25.*

§. XL. Ultimi casum *ex materia societatis* subnectere lubet. Notum est, quod societati non solum promiscue renunciare possit socius, sed quod etiam ad hæredes ea non transeat. Queritur autem, *annon præcise cogatur socius manere in societate jurata, item, annon hæredes etiam ad continuandam societatem juratam obstricti sint?* Transitoriam ad hæredes esse societatem adstruit Molina apud Frantzkiûm *ad tit. ff. Pro Socio num. 123. seqq.* sed recte dicit Brunnemannus *ad l. 59 ff. pro soc.* quod licet forte hoc juramentum obstrinxerit defunctum, non tamen videatur obligare heredem, præfertim si societas præbeat materiam litium, cum juramentum nutritivum peccati esse non debeat, quod esset, si lis durante societate sopiri non posset. Multos Autores huc pertinentes & in utramque partem sentientes adducit idem Brunnem. *d. l. n. 6.* Sequitur vero simul ex ratione ab ipso adducta, quod nec juramentum ipsum jurantem amplius obstringat, si postquam illud præstitum, diversa lites & dissensiones superveniunt, quæ non commodius, quam per recessum a societate sopiri possunt. Non obstat, quod supra §. XXXIII. dixerimus, tolerari posse assertum DD. quod juramentum poenitentiam excludat; illa siquidem assertio

assertio nunc ita limitanda erit, modo ex denegata pœnitentia non proveniant lites & discordiæ, tunc enim juramentum contra requisitum in §. V. adductum impingit.

§. XLI. Infinita alia exempla ad illustrationem thematici faciëntia apud DD. passim prostant, quæ singula adducere non necessarium duximus, quoniam ex hæcenus adductis de similibus casibus facili negotio iudicium ferri potest. Unum si noveris, omnes cognoveris. Scopus noster non fuit, ut ex tot Scriptoribus, qui materiam juramentorum pertractarunt, novum volumen conscriberemus, sed ut speciem solummodo exhiberemus, ex quo de male coherentibus multorum doctrinis iudicari posset. Unum adhuc restat circa finem dissertationis excuciendum quinam scilicet sit ille fons impurus, ex quo tot turpidæ conclusiones, hæcenus fufius adductæ, profluxerunt.

§. XLII. Videtur autem omnem confusionem ex non rite intellecta juramentorum natura provenisse. Dicunt enim juramentum esse rem spiritualem, Seraphin. *de privileg. juram. privileg. 101.* Covarruv. *in c. quamvis de pactis in 6. part. 2. §. 6. n. 4.* Setfer. *de juram. l. 2. cap. 15. in f.* esse vinculum religionis & animæ, quod non nisi juramenti observatione solvi possit, atque adeo omnino solvendum, posthabitis omnibus bonis temporalibus & momento duraturis, Parif. *p. 1. Conf. 69. num. 31.* Wesenbec. *P. 1. Conf. 23. n. 23.* Quod si queris, in quo consistat illud spirituale animæ vinculum, respondent DD. adesse VOTUM, quod DEO omnino reddi debet, vid. plurimos allegatos à Setfero *l. 1. cap. 25. num. 5.* & quem supra §. XXV. citavimus Hugonem Grotium.

§. XLIII. Ex hoc supposito deduxerunt conclusionem: *quod juramentum adsciat forum foro.* id est, quod licet

licet Laicus ratione celebrati contractus coram Judice ecclesiastico conveniri nequeat; nihilominus tamen Judex ecclesiasticus toties fiat judex competens, quoties contractus juramento confirmatus fuit, Everhard. *loc. cit. §. 6. nerg. juram. num. 38.* ubi id summe notandum dicit, quia maximi effectus, quoniam ut plurimum hodie in quolibet contractu juramentum interponitur. Ergo vides, referendum esse adductum principium ad rationes status Cleri Pontificii, qui uti alias, ita & hic præsentiam suam jurisdictionem spiritualem magis magisque extendere annis est, ut tandem omnia Laicis auferret & ipse solus dominaretur. Quod ipsum permovit Hispanos, ut legem ferrent, qua prohibitum est, ne juramentum in contractibus interponatur, adjecta pœna, ut Tabetto recipiens à Partibus hoc juramentum & officio privetur & dimidia bonorum suorum parte, cuius quidem legis judice Sersero *l. r. c. 25. num. 85.* alia ratio non est, quam hæc, ne ex juramento contractui adhibito causa, quæ ad Regium Tribunal pertinet, ad Ecclesiasticos devolveretur. Expresse enim jurisdictio ecclesiastica intuitu juramentorum stabilitur *in c. f. de for. compet. in 6.* Cum C. Laicus, inquit Papa Bonifacius VIII, te servare recuset indemnem contra juramentum à se præstitum temere veniendo: ipsum coram ecclesiastico Judice (ad cujus forum ratione juramenti causæ hujusmodi cognitio noscitur pertinere) de jure poteris convenire: ut ipsum monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, quod te super prædictis (ut tenetur) servet indemnem, prævia ratione compellat.

§. XLIV. Erroneam vero hypothefin, quod juramentum vim voti habeat, jam refutavit Pufendorff. *de f. N. & G. l. 4. c. 2. §. 8.* Enimvero, inquit, alia videtur natura

E

tura

34 DISS. DE BROG. OMNE JURAM. SERV. ESSE,
tura iusiurandi, *cujus verba non ad hominem, sed ad Deum
diriguntur*, v. gr. si dicam solus, aut coram arbitris, *ego
Deo juro, quod Sejo velim dare*. Id enim habet indolem
voti, quo Deo promitto, quod in ipsius honorem sim a-
liquid præstiturus, adeoque ex eo non homini, sed Deo
jus volui conferre. Secus autem sese habent juramenta,
*quæ ad hominem diriguntur, seu ubi Deo teste homini quid pro-
mitto*, qualia sunt omnia juramenta in significatu commu-
ni accepta. Vides ergo, quàm malè DD. hæc duo distin-
ctissima confundant.

§. XLV. His ita notatis facilè satisfieri potest
dubiis quæ Georgius Frantzkus *in tractatu Variarum Re-
solutionum* contra hanc nostram sententiam movit, *lib. 1.
Resol. 5. & 6.* quippe in quibus duabus Resolutionibus de
præsentī materia ex professo, ut dicunt, differuit. Dicit
Resol. 5. num. 49. seqq. *Leges civiles utilitatem privatam re-
spondentes non obligare directo in conscientia, quia nec à Deo
sunt nec de rebus divinis latae, nec Magistratus Politicus po-
testatem in conscientias habet.* Respondemus: hæc omnia
falla esse, si de lege prohibitiva sermo sit, & vulgatum il-
lud: Magistratum non habere potestatem in conscientias, hic
admodum contortè applicari, quippe quod tunc fastem
locum habet, si Magistratus Politicus de rebus ad fidem
pertinentibus disponere, vel contra jus divinum aliquid
præcipere velit.

§. XLVI. Pergit *d. Resol. 5. num. 53.* *Quia Civis Ma-
gistratui fidelitatem & subjectionem jurans hoc facit in ordine
ad totam Remp. quam pro virili sua defendere & in eo Prin-
cipi, sive Magistratui obedire promittit, perjuri certè reus
aliter esse & dici non potest, quam si ordinem in Rep. turbet,
& vel Principem Magistratumve deserat, aut contumaciter
illi*

illi restat, quod non fit, si in particulari de alienatione rei sue dominus disponat illamq; iurejurando confirmet. Respondemus, hoc suppositum iterum apertè erroneum esse, quia Cives non solum ad totam Remp. pro virili defendendam, sed simul etiam ad actiones suas in quibuscunque negotiis privatis voluntati superioris conformandas obstringuntur.

§. XLVII. Imo eousque progreditur Frantzkius *d. l. n. 54.* ut statuat, nec statutò contrarium induci posse, quod scilicet iuramentum tali casu irritum esse debeat. Subiungit rationem: *quod ex iurejurando semota etiam Legis prohibitione duplex quodammodo obligatio oriatur, altera spiritualis, quæ DEO, altera naturalis & politica, quæ recipienti iuramentum acquiritur. Licet itaque Magistratus statuto prohibere possit, ne oriatur, vel teneat posterior obligatio, non tamen, ne prior, quæ conscientiam intime afficit, cui dominatur solus Deus.* Vides, latere in his verbis eandem erroneam hypothefin, quam modo refutavimus in §. XLIV. quod scilicet in iuramento Deo aliquid promittatur, unde etiam Frantzkius *Resol. 6. per tot.* in eo occupatus est, ut demonstret, iuramentum non quidem confirmare actum præcedentem invalidum, sed novam tamen intuitu Dei producere obligationem.

§. XLVIII. Hæc sunt supposita doctrinæ Frantzkiï, quibus negatis conclusiones ab ipso adductæ per se corrumpunt. Nos ergo integram hancce dissertationem concludimus verbis illustris Strykiï in *not. ad Lauterb. tit. de iure iur. verb. ius civile & verb. prohibitio.* Nemo, inquit, suo iuramento legum civilium effectum tollere potest, cum actus privatorum non debeant esse potentiores ipsa Lege.

Actus

36 DISS. DE BRŒC. OMNE JURAM. SERV. ESSE.
Actus enim, addit, subditorum dependent in Reb. ex ar-
bitrio superioris; qui ergo actus prohibente supe-
riore fit illicitus est. Et hinc nec superio-
re prohibente jurare licebit.

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

Juramentum ab Episcopo contra utilitatem
Ecclesiasticam præstitum non est juramentum,
sed perjurium, *c. 27. X. de jurejur.* Ita jus Canonicum
principia a nobis supposita rectè sequitur, quan-
do res ecclesiam & Clerum concernit.

II.

Si Maritus juravit, quod uxorem obadul-
terium accusare nolit, & hæc tamen tale delictum
committit, quæritur, an juramentum accusatio-
ni obstet? Accusationem vix permittit *c. 25. X. de
jurejur.* concedit tamen denunciationem ecclesia-
sticam. Sed quæ ratio disparitatis? Scilicet hæc,
ut Jurisdictio Episcopalis eo melius extendatur,



ULB Halle

003 890 414

3



sb.





DISSERTATIO JURIDICA
DE

Genuino intellectu brocardici vulgaris:

**OMNE JURAMENTUM
SERVANDUM ESSE, QVOD
SALVA SALUTE ÆTERNA
SERVARI POTEST,**

Quam

DEO ter O. M. adnuente,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WIL-
HELMO.**

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRANDEN-
BURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE, & reliqua,
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE

JAC. FRIDERICO LUDOVICI,
J. U. D. Prof. Publ. & Facult. Jurid.

Adfessore adjuncto,

Ad d. Martii, MDCCV. H. L. D. C.

Placido Eruditorum Examine submittit

CHRISTIANUS Gottlob Dressl

Misena Misnicus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI.